



Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse.  
Laptulajdonos: Katolikus Középkolal Tanáregyesület. — Sumpibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DI Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634)

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1939-40. 3 pengoe, ext Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additum.

Per.  
Lat  
020

## Commercium epistolare.


Moderator Honoratissime!

Cum Collegium Budapestinense Ordinis Ursulani ab alumnis eiusdem Collegii descriptum sit, etiam nos, fidelissimae lectrices ephemeridis «Iuventus», Collegium nostrum peramatam omnibus lectoribus ad cognoscendum tradere optamus.

Collegium nostrum in «Civitate fidelissima» a. 1747 fundatum est. Tunc nondum aedificium neque Ecclesiam habebat solaque fide necnon a Deo adiuwabatur. Tempore autem procedente Collegium efflorescebat! Hodie schola elementaris 12, schola civilis 4, schola feminea practica 3, schola magistrarum praeparatoria 5 et gymnasium 8 classium animum corpusque matronarum Hungariae futu-

rarum curant. Cum alumna gymnasii sim, de e pauca enarrare velim. Gymnasium Ursulanum a. 1912-13 ius publice docendi accepit, quare scholas Transdanubianas cunctas anteit. In foro Széhenyiano invenitur aedificium gymnasii, quod cum claustro monialium<sup>1</sup> in foro Ursulano sito hortus conjungit. Partes quaedam horti<sup>2</sup> in moenibus antiquis constructae pensiles<sup>2</sup> vocantur. In hoc horto turris 30 passuum erecta est, unde prospectus vere latus totam in civitatem patet (fig. II.). Ecclesia monasterii genere gothico aedifi-

<sup>1</sup> apáca = Nonne = religieuse <sup>2</sup> függökert = hängender Garten = jardin suspendu



I: Atrium ornatissimum, II: hortus pensilis et turris Ursulani Scarabantiae.





cata mihi semper gratissima erit. Pulchritudinem eius etiam peregrini admirantur.

Classes gymnasii accurate instructae sunt, ut exemplo utar, palaestra<sup>3</sup> artis<sup>3</sup> gymnasticae<sup>3</sup> atque collectio instrumentorum physicorum in «Civitate fidelissima» copiosissime exornatae sunt.

Omnium exedarum<sup>4</sup> pulcherrimae sunt classis VIII. et atrium<sup>5</sup> ornatissimum<sup>5</sup> (fig. I.), quod candelabro pensili pavimentoque<sup>6</sup> ex opere<sup>6</sup> intestino<sup>6</sup> decoratur. Hic celebrabatur a nobis autumno praeterito minister rerum exterarum, Comes Csáky. In cryptoportibus<sup>7</sup> statuae Sanctorum stant. Quamquam plurima pulcherrimaque describere possum, tamen enumeratio rerum mihi carissimarum me dolore implet. Annus enim



Discipulae abiturientes Ursulani Scarabantiae.

scholaris currens mihi totique classi VIII. ultimus est. Post 12 annos Collegio valedicere difficillimum est. Gymnasio enim recordationibus iuventutis nostrae omnes nos pulcherrimis coniungimur.

Ephemeridi «Iuventus» plurimam salutem in nomine etiam classis VIII., quae est in «Civitate fidelissima» dicit :

Scarabantiae, a. d. IX. Kal. Maias.

Margaretha Horváth abiturientis gymn. Ursularum.

<sup>3</sup> tornaterem = Turnsaal = salle de gymnastique  
<sup>4</sup> tanterem = Lehrsaal = salle <sup>5</sup> díszterem = Festsaal =  
 salle des fêtes <sup>6</sup> vulgo : parkett <sup>7</sup> zárt folyosó = ver-  
 deckter Gang = corridor

## LECTARIUS MINIMIS.

### Jocosa.

1. *Miles*: Domine optio,<sup>1</sup> hunc panem edere non possum, valde durus est. — *Optio*: Quid? Crede mihi etiam Napoleonem beate edisse talem panem! — *Miles*: Credo, domine optio, tunc enim panis adhuc recens<sup>2</sup> erat.

2. In schola aviatorum<sup>3</sup> tirones<sup>4</sup> docentur. *Optio dicit*: «Accipe, tiro, hanc umbellam<sup>5</sup> pensilem.<sup>5</sup> Si e machina exsilis, numera usque ad tria, tum hunc funiculum<sup>6</sup> astringe et umbella pensilis celeriter pandetur.<sup>7</sup> — *Tiro*: Et quid faciam, si tamen non pandetur? — *Optio*: Fabricae litem<sup>8</sup> intendemus.<sup>8</sup> *Lad. Tamás* abiturientis Vesprimiensis.

3. Anus,<sup>9</sup> quae clara garrulitate<sup>10</sup> erat, interrogavit medicum, quo remedio uteretur ad linguam

sanandam, quae vehementer doleret. Medicus «Otium<sup>11</sup> — inquit severe — linguae concede!»<sup>11</sup>

4. *A*: Quod animal frigus patitur facillime? — *B*: Nescio. Dic igitur! — *A*: Pulex.<sup>12</sup> — *B*: Quomodo? — *A*: Nam pulex etiam hieme in subticula<sup>13</sup> ambulat.

*Henricus Schäfer* disc. Bonyhadiensis.

5. *Hereditas magna*. *A*: Praeter vestimentum, amice, etiam totam meam bibliothecam tibi relinquo. — *B*: Ubi est illa bibliotheca? — *A*: In dextro sinu vestimenti mei.

6. *In schola militari*. *Optio*: Quid est «strategema?» — *Miles*: Cum munitio iam deficit nos et tamen missitamus<sup>14</sup> glandes,<sup>14</sup> ne hostes inopiam munitiois animadvertant.

*Nic. Mermelstein* disc. Ujpestiensis.

7. Ancilla<sup>15</sup> a domina ad theatrum mittitur, ut tesseram<sup>16</sup> emat. Ibi arcarius<sup>17</sup> interrogat: «Quid vis?» — *Ancilla*: «Velim locum in cavea<sup>18</sup> media.» — *Arcarius*: «Pro Aidā?» — *Ancilla*: «Minime. Pro domina mea.»

8. *Petrus*: Quid? Tu te vegetarianum nominas et tamen bubulam<sup>19</sup> assam<sup>19</sup> edis? — *Carolus*: Ita est, nam vegetarianus secundi gradus sum, et tantum animalia herbas edentia edo.

*Jacobina Engbert* disc. Lucanensis.

9. Sacerdos quidam Britannicus cum causidico<sup>20</sup> apud mensam colloquitur, qui cum sacerdote iocari volens interrogat: «Quis vincat, si vir ecclesiasticus cum diabolo<sup>21</sup> litiget?» — Sacerdos, qui consilium socii perspexit, dulci risu respondit: «Sine dubio diabolus.» Causidico, qui admirans interrogavit: «Cur?», «Quia, inquit, omnes causidici cum illo sunt.»

*Colette Bouverat* disc. Lucanensis.

<sup>1</sup> őrmester = Feldwebel = sergeant <sup>2</sup> friss = frisch = frais <sup>3</sup> repülő = Flieger = aviateur <sup>4</sup> újonc = junger Soldat = recrue <sup>5</sup> ejtőernyő = Fallschirm = parachute <sup>6</sup> zsinég = Schnur = cordon <sup>7</sup> kinyílik = sich öffnen = s'ouvrir <sup>8</sup> beperel = einklagen = intenter un procès <sup>9</sup> öregasszony = eine Alte = une vieille femme <sup>10</sup> szószátyárság = Schwatzhafzigkeit = bavardage, volubilité <sup>11</sup> békében hagy = Ruhe gönnen = laisser en paix <sup>12</sup> bolha = Floh = puce <sup>13</sup> ing = Hemd = chemise <sup>14</sup> lövöldöz = oft schießen = tirer <sup>15</sup> szolgálo = Dienstmagd = bonne <sup>16</sup> belépőjegy = Eintrittskarte = billet <sup>17</sup> pénztáros = Kassier = caissier <sup>18</sup> földszint = Parterre = parterre <sup>19</sup> marhasült = Rindsbraten = rôti de boeuf <sup>20</sup> ügyvéd = Rechtsanwalt = avocat <sup>21</sup> ördög = Teufel = diable

10. *Henricus IV. rex Francogallorum*, viā errabat in venatione. Occurrit<sup>1</sup> rustico cuidam orabatque eum, ut viam rectam ostenderet. Rusticus putans eum unum e dominis venantibus esse dixit: «Reducam te ad socios tuos, si regem mihi monstraveris.» *Henricus* volens illudere eum «Digito nefas monstrare regem», — inquit — «sed petasatus<sup>2</sup> stans rex est.» Rege et rustico advenientibus domini caput<sup>3</sup> nudaverunt<sup>3</sup> et acclines<sup>4</sup> salutaverunt<sup>4</sup> regem. «Scis-ne iam, quis rex sit?» interrogavit rusticum *Henricus*. «Certe alter<sup>5</sup> nostrum<sup>5</sup>» — respondit ille — «quandoquidem petasati solum nos duo sumus.»

<sup>1</sup> találkozik = begegnen = rencontrer <sup>2</sup> kalaposan = mit dem Hut auf dem Kopf = chapeauté <sup>3</sup> kalapot emel = den Hut abnehmen = lève son chapeau <sup>4</sup> meghajol = sich verneigen = s'incliner <sup>5</sup> egyikünk = einer von uns = l'un de nous



11. Homo beneficus ad mendicum caecum : «Quomodo? Tu potes acta diurna legere? Ergo non es caecus? — Ille : Oh, tantum imagines specto.

Col. Csathó disc. Makonensis.

12. Quondam Papa Innocentius V. pictorem quendam quattuor virtutes cardinales<sup>7</sup> depingere, simul vitia his virtutibus opposita in eadem pictura effingere iussit. Pictor brevi tempore tabulam pulcherrime pictam Papae praebere potuit. Cum autem praemium acceptum spem pictoris falleret, summā impudentiā quaesivit : «Jubesne forsitan, ut insuper etiam vitium, nomine «Animum<sup>8</sup> ingratum»<sup>8</sup> picturae adiciam?» Tum Innocentius subridens :<sup>9</sup> «Per me<sup>10</sup> — inquit — licet. Eā tamen conditione, ut etiam virtutem adicias, nomine «Modestiam.»

13. *Portorium*<sup>11</sup> insolitum. Novi<sup>12</sup> Eboraci vir quidam collector rerum rarissimarum papilionum<sup>14</sup> locorum tepidorum<sup>15</sup> ad se missos accepit atque iussus est portorium quasi de alitibus<sup>16</sup> solvere. Cum stupefactus causam quaereret, responsum ei est : «Papiliones quoque alas habent.» — Aegyptologus quidam Franco-gallus rem similiter necopinatam expertus est. Cum ei portorium corporis mortui medicati (vulgo : mumiae) solvendum<sup>17</sup> esset<sup>17</sup>, telonarii<sup>18</sup> inter se constituere non potuerunt, quam impensam<sup>19</sup> formulae<sup>19</sup> adhiberent. Tandem aliquando reperta est solutio quaestionis, nam telonarii mumiam «piscem siccatum»<sup>20</sup> esse declaraverunt.

14. *Lapis miliaris*.<sup>21</sup> Duo Batavi<sup>22</sup> vesperi quodam, postquam permultum vini<sup>23</sup> adusti<sup>23</sup> eius regionis gustaverunt, domum ambulantes ab itinere aberraverunt et extra muros in viam publicam delati<sup>24</sup> sunt. «Ubinam sumus?» quaesivit alter eorum. «Petre, in coemeterium<sup>25</sup> egressi sumus, — respondit alter, — ecce hic est cippus.»<sup>26</sup> — «Inspice, quis hic sepultus sit?» opinatur Petrus. Tum alter capsula<sup>27</sup> igniariorum<sup>28</sup> aegre prolata unum eorum gravi cum labore accendit atque cippum torpentibus<sup>29</sup> oculis<sup>29</sup> contemplatur.<sup>29</sup> «Petre», inquit «obstupescite : hic vir centum viginti annos vixit». Petrus stupefactus iam cognoscere desiderat, quomodo vir appellatus sit. Denuo labor diuturnus patiensque cum igniariis, quem denique responsum sequitur : «Appellabatur quidem Milia<sup>30</sup> ab Roterodamo.»

Ladislav Zander abiturienti gymn. Acad. Bp.

<sup>6</sup> vak = blind = aveugle <sup>7</sup> sarkalatos = wesentlich = cardinales <sup>8</sup> hálátlanság = Undank = ingratitude <sup>9</sup> mosolyog = lächeln = sourire <sup>10</sup> nem bánom = meinete-wegen = je veux bien <sup>11</sup> vám = Zoll = taxe douanière, droit de douane <sup>12</sup> New-York <sup>14</sup> lepke = Schmetterling = papillon <sup>15</sup> vulgo : tropicos <sup>16</sup> szárnyas = Geflügel = volaille <sup>17</sup> kellett fizetnie = mußte zahlen = avait à payer <sup>18</sup> vámhivatalnok = Zollbeamte = employé des douanes <sup>19</sup> díjtétel = Tarifsatz = tarif <sup>20</sup> szárított = getrocknet = séché <sup>21</sup> mérföldkő = Meilenstein = borne milliaire <sup>22</sup> vulgo : Hollandi <sup>23</sup> pálinka = Schnaps = eau-de-vie <sup>24</sup> vetődtek = landeten = échouer <sup>25</sup> temető = Friedhof = cimetière <sup>26</sup> sírkő = Grabstein = pierre tombale <sup>27</sup> skatulya = Schachtel = boîte <sup>28</sup> gyufa = Zündholz = allumette <sup>29</sup> elbáméskodik vmin = anstarren = regarder stupéfait <sup>30</sup> mérföld = Meile = lieue

## LECTORIBUS MEDIIS

### Historiae Helveticae.

1. *De comarcho*<sup>1</sup> Wengi. Inter bella religiosa, quae Helvetiam turbaverunt et diviserunt in duas hostiles partes, eminent comarchus Wengi. Iam res<sup>2</sup> ad manus<sup>2</sup> venit,<sup>2</sup> cum Wengi ad tormentum<sup>3</sup> ruit clamans : «Cives, si fratrum vestrorum sanguinem fundere vultis, incipite a me!» Haec actio magna-



Comarchus Weng

nima animos sedavit ; et catholici et protestantes pacem fecerunt.

2. *De lactis sorbitione*.<sup>4</sup> Inter reformationis et contrareformationis periodum erant pagi catholici, qui novam religionem accipere nolebant. Turici<sup>5</sup> arma ceperunt contra hos pagos. Sed feliciter pugna impedita et foedus ictum est. Ipsi milites protestantes amicitiam cum catholicis inierunt. Olim quidam milites posuerant inter pagum protestantem Turiciensem et catholicum labrum<sup>6</sup> lactis.

Labrum positum est inter fines duorum pagorum. Et catholici et protestantes intra fines stare debebant et in eodem labro lac et panem edere. Si quis fines transibat alterius, ceteri cochleari<sup>7</sup> manus eius percutiebant. Sic milites publice sorbitionem ederunt.

Discipuli Lucanenses.

<sup>1</sup> falu bírája = Schultheiß = le maire du village <sup>2</sup> összecsap = handgemein werden = en venir aux mains <sup>3</sup> ágyú = Kanone = canon <sup>4</sup> leves = Suppe = potage <sup>5</sup> incolae urbis Zürich <sup>6</sup> kád = Kufe = cuve <sup>7</sup> kanál = Löffel = cuillère

### Et in terra pax... (3)

Scr. : Fr. Herczeg. Latine reddidit : Ios. Guelmino Bp.

Infra exsonuerunt campanae ad missam natalicium. Supra, in silva, ad lapideam crucem inter-dum puncta pallida lucis elucescunt ; crederes lampyrides<sup>61</sup> esse. Sex lampyrides hiemales : oculi luporum, sanguine perfusi, viam intuentes. Tres lupi ventri incubantes in fruticeto.<sup>62</sup> Primus, qui praeteriit eos in via, ebrius<sup>63</sup> erat. Furibundus

<sup>61</sup> szentjánosbogár = Glühwurm = ver luisant <sup>62</sup> bozót = Gebüsch = broussaille <sup>63</sup> részeg = besoffen = ivre



inclamat inimicum suum invisibilem : «Et tu audes mihi dicere me ebrium esse? Mihi, tu canis im-mundus!»<sup>64</sup> Et incipit blasphemare<sup>65</sup> et singultare<sup>66</sup> et titubans<sup>67</sup> pergit iter. Lupi non se movent.

En appropinquant duo mendici, ruinae corporis humani, alter alterum trahentes ad templum ver-sus. Alter baculo<sup>68</sup> levatur, alter captus<sup>69</sup> est oculis.<sup>69</sup> Lupi in silentio latent.

Nunc venit fenerator<sup>70</sup> montanorum, rusticus aureus nominatus. Cogitationes atrae et malignae volitant circum eum, ut multitudo corvorum circum arborem<sup>71</sup> infelicem.<sup>71</sup> . . . porro non par-cet iis aere<sup>72</sup> alieno<sup>72</sup> demersis.<sup>72</sup> Usque ad festa natalicia clemens erat, porro autem non. Qui non solvit, auferat<sup>73</sup> se e casa sua! . . . Lupi immoti iacent.

Hunc sequuntur duae figurae pannis involutae. «Et si in lucem<sup>74</sup> profertur<sup>74</sup> res» — interrogat pri-mus. — «Testis non est relinquendus. Istos sex annos quoque ideo accepi, quia vivam reliqui puellulam, quae postea me prodidit. Ergo : testis non est relinquendus.»


Neque hos attingunt lupi. Ecce autem septi-mum, qui nunc appropinquat. Passibus celeribus progreditur in calle<sup>75</sup> silvestri bene noto : in manu flava theca, in corde dulcis superbia victoris. Subito restitit. Nam, veluti somnium quoddam, duae bestiae obviam saliant ei in via in lumine lunae nocturnae. Lupi sint? Hac in regione? An potius canes pecuariae vagantes? Attamen sclopetulum<sup>76</sup> (artis Browning) arripit. Sed priusquam deureret,<sup>77</sup> ictum formidabilem sentit in humero : lupus ter-tius impetum fecit in eum a tergo ita, ut Ioannes laberetur et in nivem pronus in vultum caderet. Ululatus horrissonus rumpit quietem silvae. Et de<sup>78</sup> eo actum<sup>78</sup> est.

\*

Mente<sup>79</sup> captus<sup>79</sup> vici<sup>79</sup> flavam thecam repperit inter iuniperos.<sup>80</sup> Pertemptavit, thecam scidulis<sup>81</sup> refertam. «Pecuniam inveni» — balbutiebat<sup>82</sup> oculis emicantibus. Cogitationes irritate volitant in mente. Nunc in matrimonium ducere potes puel-lam magistri pagi.<sup>83</sup> Evam arrogantem, aut potius famulam<sup>84</sup> cursus<sup>84</sup> publici,<sup>84</sup> quoniam illa puella vere lauta<sup>85</sup> est.

Caute aperuit thecam. Pecuniae autem nil in-veniebatur in illa, tantum scripta. Aliam post aliam exemit chartam, versat, latitetne in ea tes-tera<sup>86</sup> nummaria,<sup>86</sup> sed tantum scripta inania videt, litteras, numeros, figurasque insolitas. Singillatim conscindebat eas et iratus dissipabat in silva. Et cum ad telonium<sup>87</sup> pervenit, theca iam vacua erat. Scripta ea formulas, rationesque gasi<sup>88</sup> novi vene-nati<sup>88</sup> continebant, quod inventor «gasum tricru-ciatum»<sup>89</sup> nominavit, rebus bellicis aptissimum, quia vis eius expansiva<sup>90</sup> et displosiva rationem<sup>91</sup> habet<sup>91</sup> ad efficacitatem gasorum, quorum adhuc usus erat, ut decem milia ad unum. Unicus pyro-bolus<sup>92</sup> centum chiliogrammatum huius gasi satis est incolas urbis cuiusvis magnae ad unum omnes exstinguere. (Finis.)

<sup>64</sup> pizskos = schmutzig = sale <sup>65</sup> káromkodik = fluchen = jurer <sup>66</sup> csuklik = schlucken = hoqueter <sup>67</sup> tán-torog = taumeln = tituber <sup>68</sup> mankó = Krücke = béquille <sup>69</sup> vak = blind = aveugle <sup>70</sup> uzsorás = Wucherer = usu-rier <sup>71</sup> akasztófa = Galgen = potence <sup>72</sup> eladósodott = sehr verschuldet = obéré de dettes <sup>73</sup> takarodik = sich fortmachen = fiche le camp <sup>74</sup> kitudódik = ruchtbar wer-den = se découvrir <sup>75</sup> ösvény = Fußsteig = sentier <sup>76</sup> vul-go : revolver <sup>77</sup> elsüt = schießen = décharger <sup>78</sup> vége volt neki = es war aus mit ihm = c'en était fait de lui <sup>79</sup> falu bolondja = Dorfnarr = le fou du village <sup>80</sup> gyalogfenyő = Wachholderbaum = genièvre <sup>81</sup> cédula = Zettel = fiche <sup>82</sup> dadogni = stammeln = bégayer <sup>83</sup> a falusi bíró = Dorf-schulze = le maire du village <sup>84</sup> postás kisasszony = Post-beamtin = la postière <sup>85</sup> úri = vornehm = chic, distingué <sup>86</sup> bankjegy = Banknote = billet de banque <sup>87</sup> vám = Mauthaus = douane <sup>88</sup> mérges gáz = Giftgas = gaz asphyxiant <sup>89</sup> tribus crucibus signatum <sup>90</sup> feszítő erő = Spannkraft = force expansive <sup>91</sup> aránylik = im Verhältnis stehen = être en proportion <sup>92</sup> vulgo : bomba <sup>93</sup> legyilkol = umbringen = exterminer



Paulus III. Summus Ponti-fex comprobat leges Societa-tis Jesu ab Sencto Ignatio a. 1540 conditae. Historiam ordinis per 400 annos optime de fide propaganda meritaе P. Bela Bangha nuper mor-tuus libro suo iucundissimo memoriae tradidit.



## Nuntii recentissimi.

Bellum Europaeum iam illo bello gentium a. 1914—18 gesto quoque atrocius geritur. Batavi (= Hollandi) die quinto, Belgae 18-o iussu Leopoldi regis arma posuerunt, quos Britanni Franci-



que non solum defendere non potuerunt, sed etiam ipsi a Germanis circumventi in Flandria non nisi ingenti multitudine et militum et rerum ad pugnandum necessarium amissis aegerrime se recipientes navibus vecti aufugerunt in patriam suam. Germani litore freti<sup>1</sup> Britannici<sup>1</sup> occupato nunc iam nova munimenta, quae novus dux summus Francorum, Weygand ex tempore construere potuit, perruperunt quam prius Parisios perventuri.

Pius XII Summus Pontifex, qui nuper Gemmam Galgani puellam Italicam et Mariam Euphrasiam Pelletier monacham Francogallicam canonizavit,<sup>2</sup> iterum monuit nationes armis certantes, ut bellum intra leges humanitatis gererent, neve pyrobolis<sup>3</sup> cives non-militantes aggredierentur.

<sup>1</sup> La Manche <sup>2</sup> in numerum sanctorum rettulit <sup>3</sup> vulgo: bomba


## De imperio Sovietico in Polonia.

Quidam diurnarius<sup>1</sup> Italus in ephemeride «*Cur-sor*»<sup>2</sup> *Catholicus Mediae Europae* enarrat, quae a popularibus suis, qui multos annos in Polonia Orientali opus fecerant, cum in patriam remigrarent, cognovit.

Exercitus Russicus die 17 Sept. advenit. Milia curruum bellicorum (= tank) die noctuque per vias ad fines Rumeniae Hungariaeque versus vehebantur. Copiae descriptae<sup>3</sup> vestitae et instructae erant. Nihil facinoris aut violentiae factum est, neque ulla taberna aut domus expoliata ab eis est. *Immensa iis cibi aviditas erat.* Coemerunt et stante pede edērunt omnia, quae in manus eorum venerunt: non raro viginti parvos panes et singula chilogrammata carnis. Omnia diligenter persolverunt cum tesseris<sup>4</sup> novis nummariis,<sup>4</sup> quarum pretium verum plerumque mercatoribus ignotum erat.

Postea exercitus longius processit, parvum praesidium remansit. Gubernator quidam militaris administrationis causā tribunum plebis nominavit. Tum tempus novum incepit. Initio nemo de re sollicitus erat. Milites tabacum petebant et volvellam<sup>5</sup> e charta<sup>6</sup> ephemeridis<sup>6</sup> sibi torquebant. Libenter sermonem cum hominibus habebant *cum exercitu adhuc multo longius se processuros et totā Europā potituros esse narrantes.* Ceterum hilares, iucundi et homines bonae voluntatis erant. Moscoviam urbem maximam et magnificentissimam mundi esse dixerunt. Omnia admirabantur: vestitus, calceos, liberos nostros. Multi eorum e. g. citreum<sup>7</sup>, nunquam antea viderunt, et multis ovum butyrum<sup>8</sup> et caseus res novae erant.

<sup>1</sup> ujságró = Journaliste = journaliste <sup>2</sup> Corriere  
<sup>3</sup> rendesen = ordentlich = proprement <sup>4</sup> bankjegy = Banknote = billet de banque <sup>5</sup> vulgo: cigarettam  
<sup>6</sup> ujságpapír = Zeitungspapier = papier de journal <sup>7</sup> citrom = Zitrone = citron <sup>8</sup> vaj = Butter = beurre



Officina Joannis Gutenberg, inventoris artis typographicae in urbe Mogontiaco (Mainz), ubi etiam nostris temporibus manuscripta litteris antiquis Gutenbergianis prelo ligneo, quomodo 500 annis ante, imprimuntur.



Nonnullis diebus post omnia bona privata non legitima esse delarata sunt. Tantum praediola<sup>9</sup> rustica<sup>9</sup> agricularum in possessione possessorum remanere potuerunt. Latifundia publicata et conductoribus<sup>10</sup> assignata sunt.<sup>11</sup> Eodem tempore a ministris<sup>12</sup> publicis<sup>12</sup> GPU 23.000 Polonorum patriae amantium comprehensi et catervatim in Russiam asportati sunt. Postea populiscitus<sup>13</sup> in cellis quidem separatis, sed cum scedulibus numeri<sup>14</sup> ordine<sup>14</sup> notatis<sup>14</sup> factus est. Omnes suffragium inire debebant. Sic populus cunctis suffragiis declaravit se ad societatem Russiae Sovieticam accedere velle.

Postea rubel et zloty eiusdem pretii facta et omnes mercedes auctae sunt. Operarius, qui usque ad id temporis cotidie 2.25 zloty merebat, exinde 3—4 rubel accipiebat. *At aliqua die omnes tabernas clausas invenimus.* Neque furnaria,<sup>15</sup> neque laniena<sup>16</sup> nec aliae tabernae poma et cibaria vendebant, item portae vestificinarum<sup>17</sup> ceterarumque tabernarum obsignata<sup>18</sup> sunt. Magistratus et imperia tempo nocturno omnes receptaculorum<sup>19</sup> merces confiscaverunt. Brevi post quinque tabernae<sup>20</sup> universales<sup>20</sup> apertae sunt, quae tamen merces non multas neque diversas habebant.

Incolae ordinibus infinitis stare et saepe multas per horas expectare debebant, et postremo vacuis manibus discedebant sperantes se insequenti die accepturos esse, quae emere vellent. Operarius, qui quondam 2.25 zloty diurna mercede sesquialterum (= 1½) chilogramma carnis emere potuerat, nunc pro 3—4 rubel diurna mercede ne fasciculum<sup>21</sup> quidem igniariorum<sup>21</sup> accepit. Et cetera pretia saltuatim augebantur. Chilogramma carnis intra paucos dies in 86 rubel incensum<sup>22</sup> est, panis, cuius pretium antea 20—25 grossy fuit, nunc 2.60 rubel constabat. Cotidianae res etiam maxime exiguae similiter summas ingentes absorbabant. Inopia mercium adiectionem<sup>23</sup> impensae<sup>23</sup> incredibilem attulit.

Respublica etiam pecudes in publicum addixit.<sup>24</sup> Boves, vaccas, sues et oves, immo etiam pecora volatilia, canes et feles sigillo falcis<sup>25</sup> malleique<sup>25</sup> exornaverunt et numeris notaverunt. Etiam torculum<sup>26</sup> vectigalium<sup>26</sup> astrictum est. Attamen qui ita se gerebat, proinde quasi insuper aliquid haberet, iussus est, *quam primum summas ingentes solve.* Si homo supradictus metu percussus omnia bona vendidit, vel pecuniā<sup>27</sup> mutuā<sup>27</sup> ab amicis suis sumptā summam postulatam diligenter comparavit, saepe numero hoc ei respondebatur: «Si tam accurate et tot persolvere potes, haud dubie etiam duplo maiorem conficere poteris».

Incolarum urbis nostrae 75% catholicae sunt, qui diligenter templa frequentant, quorum nullum clausum erat. Ut templa claudi possent, tribunatus denuo populiscitus de hac quaestione fecit. Sed tum iam *omnis populus urbis contra templa claudenda suffragatus est.* Ita patefacta manebant. In parietibus autem scholarum *pro cruce imago Stalini posita est.* Ioannes Ieney dr. Sch. P. Vesprimiensis.

<sup>9</sup> paraszbtirtok = Bauerngut = propriété de paysan  
<sup>10</sup> bérló = Pächter = fermier <sup>11</sup> kiutal = zuteilen = remettre <sup>12</sup> rendőrség = Polizei = police <sup>13</sup> népszavazás = Volksabstimmung = plébiscite <sup>14</sup> számozott = numériert = numéroté <sup>15</sup> péküzlet = Bäckerei = boulangerie <sup>16</sup> húszlet = Fleischbank = boucherie <sup>17</sup> ruházati üzlet = Schneiderei = atelier de tailleur <sup>18</sup> lepecsétel = versiegel = mettre sous scellés <sup>19</sup> raktár = Niederlage = dépôt <sup>20</sup> áruház = Warenhaus = magasin <sup>21</sup> csomag gyufa = Schachtel Zündholz = paquet d'allumettes <sup>22</sup> szökik fel = verteuern = monter <sup>23</sup> áremelkedés = Preiserhöhung =

augmentation des prix <sup>24</sup> confiscavit <sup>25</sup> sarló, kalapács = Sichel, Hammer = faucille, marteau <sup>26</sup> adócsavar = Steuerschraube = l'imposition à outrance des contribuables <sup>27</sup> kölcsön (kapott pénz) = Darlehen = argent emprunté

### Alexander Petöfi: «Cor amore orbum».

Latine reddidit R. Nowowiejski Vilmensis.  
(Metrum Alcaicum).

*Quam magnus exstat mundus in ambitu,  
Tam tu pusilla es, cara puellula;  
At possidens te, non darem unquam  
Te vice totius universi!*

*Clarus dies es tu, tenebris ego  
Obducta nox sum; corda sed invicem  
Si nostra iungantur, serena  
Exoriatur Eos utrique.*


*Ne flecte me versus tua lumina,  
Cum vitam adurant illa animae mihi!  
Quod non tamen ferres amore,  
Conflagret heu! cor amoris orbum!*

R. N.

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Vivum Latinum.

De certamine ludicro latine indicto. Dominica post diem Sancti Georgii exploratores catervae CCLIV de «Tihamero Tóth» nominatae (gymnasii I. P. E. A.) in magnum certamen ludicrum educti sunt. Sed habiliter hoc certamen cum honore S-i Georgii, patroni exploratorum coniunctum est.



Duces catervae diversis partibus urbis (Museum-kerk, Vérmező, stb.) litteras abdidderunt, in quibus praecepta de ludo descripta erant, et quo difficilior sit solutio praecepti, litterae verbis latinis sub nomine S-i Georgii scriptae erant. Sic exploratores quasi patroni praecepta secuti ludum luserunt. Post ludum tramen in statione ferriviae



Solymárense ascenderunt, mox in amphitheatro Aquinci, celebrato S-o Georgio praemia inter se largiti sunt. Ecce charta geographica, in qua nomina omnium locorum latine scripta sunt. Inscriptiones et litteras Latinas habilissime Antonius Somogyi, dux cohortis fecit.

Quis neget linguam Latinam etiam talibus rebus aptam esse? Nam, uti vidimus, apta est, et versutos exploratores imitemur!

Gabriel Kereszty, abitur. gymn. I.-P. E. A. Bp.

**Programma certaminis poetici** ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica ex legato Hoeffftiano in annum MCMXLI indicti. De 22 carminibus ita est iudicatum: Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Iuventus Renovata*. Sumptibus Legati in volumen recipientur carmina q. t. *De Latinis Musis excolendis Sermo et Solitudo*, si poetae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam. (Hic sequuntur omnium carminum nomina.)

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. A. MCMCLI mittantur ad «het Bestuur der Koninklijke Nederlandsche Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam», munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum britannicum (*typewriter*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poetarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint. Praemium victoris erit nummus 400 florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet. Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur. Amstelodami, die 1<sup>o</sup> m. Aprili A. MCMXL.

P. Scholten Ord. lit. acad. reg. ab actis.

## Ladislaus Mécs: Tres reguli dolores.

Metro Hungarico servato, sed sine consonantia extremarum syllabarum latine reddidit Ludovicus Grabits Bp.

1. *Quando natus sum, non vaticinabantur lucidae me olim magnum fore stellae, mater sola scivit me regulum esse.*
2. *Ceteri videbant infantem et flentem, mater autem sic me fasciis involvit, rotundum si solem veluti foveret.*
3. *Ipsa mihi dedit lac dulce et suave, eo condonavit, eo sic lactavit, aliquando terrae toti ut placerem.*
4. *Nemo nisi Deus scit, unde paravit, pallium aureum mihi circumdedit, super caput meum caelum serenavit.*
5. *Vestimenta mea et hodie sarcit, et hodie coquit, libens mihi servit, ut famula regis domino et regi.*
6. *Quo ingrediebar, lapides canebant, mater enim eos canere iubebat, et cor eius mihi nuntius praebat.*
7. *Viverem vivente matre semper felix, nihil mihi deest, nihil toto mundo, doloribus tamen tribus excrucior.*
8. *Dolor primus hic est: cur nesciunt omnes inter se videre mutuo amore, sicut mater eos regulos videbat?*

9. *Dolor alter hic est: mortua si ipsa sub terra iacebit, ut languida rosa, nemo iam sciet me regulum fuisse.*
10. *Etsi omnes stellae gemmae factae essent, propagines omnes margaritae essent, usurae minimae, nihil fere essent.*
11. *Si cunctae aquae per cor meum fluerent, atque omnes molae psalmos hic fremerent, attamen gratias minimas agerent.*
12. *Mel orbis terrarum merum si traderem, pro dulcedine non gratiam referrem: hic est dolor meus, et quidem tertius.*

## AENIGMATA

### Solutiones aenigmatum numeri VIII.

1. Eva, ver, ara. — 2. Roma, orat, male, ater. — 3. Cor-  
pus, Cannae, laetor, iussum, instar, epulor: Caesar. —
4. Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento: plus  
aliis de te, quam tu tibi, credere noli. — 5. Apis, aspis. —
6. N, an, nat, ante, terna, Terina, termina. — 1—35: Tota  
Iuventus studiosa Iuventutem legat.

**Aenigmata recte dissolverunt:** In Hungaria: V. Árvay, M. Bartha, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, B. Elekes, L. Faust, I. Fáy, V. Hoffmann, N. Horváth, S. Kálmán, Gr. Kerényi, M. Kertész, E. Kis, H. Korompay, M. Kosaczky, E. Madocsay, G. Margittay, J. Német, J. Pukánszky, I. Ruitz, G. Schlosser, E. Somogyi, Au. Turner, E. Ungheváry, I. Vaszkó, C. Wittinghof (*Szilágyianum\**), St. Székely, fratres Mayer, L. Penyigei (*gymn. Archiep.*), E. Bányai, M. Blándl, M. Dischka, A. Salamon, E. Száll, Ae. Bárány, A. Králik, S. Mihályi, M. Stopka, H. Trombitás, O. Háromszéki, M. Szalay, A. Takáts (*Angelanum\**), I. Mosonyi (*Giselanum\**), P. Tolnay, E. Szabó (*Sch. Piae*), G. Gonda, G. Révész, M. Szabó, J. Vida, R. Wimmer, G. Gárdos, R. Csató, A. Dervarics, G. Germanus, Fr. Kállai, J. Kovacsik, G. Steiner, A. Szabados, E. Bamberger, P. Bornstein, Al. Heumann, J. Kaczur, M. Roger, G. Schwarcz, Al. Weisz, J. Gárdosi, G. Somogyi, L. Kovács, A. Gyürky, L. Vágó, Fr. Frankl, A. Benesóczky, G. Fuchs, T. Lugosi, G. Wertheimer, J. Tilinger, Th. Szeckó, P. Juhász (*Bolyayanum*), A. Samarjay (*Theresianum\**), E. Rosner, L. Keleti (*gymn. IPEA*), H. Noé (*Vörösmartyanum*), M. Grabits (*Sophianum\**), E. Noé (*Ladislainum*), St. Gátszegi, L. Hitesy (*Americanum*) *Budapestinenses*. E. Réti, St. Vida, J. Neun (*Dombovárienses*). H. Böröndy, M. György, L. Bolla (*Strigonienses\**). O. Waldner, J. Szó (*Gyöngyösienses*). A. Borbély, J. Héjja, E. Kákonyi, E. Molnár, C. Osgyáni, P. Straub (*Colocenses*). Fr. Horváth, St. Ipkovich, Fr. Juhász, T. Farkas (*Ginsienses*). G. Rónai, Ae. Pócs (*Mezőkövesdienses*). Br. Légrády, H. Faragó, Fr. Markbreit, J. Kner, E. Tóth, S. Öllös (*Mezőturienses\**). Clasis B, II, Th. Zombory (*Miskolcienses*). M. Szabó, M. Thier (*Scarabantiniae\**). M. Kónya (*Sabariensis\**), L. Tamás (*Vesprimiensis*). — In Italia: G. Bellissima. — Stellula\* scholas puellarum indicat.

Praemium sorte Isabellae Ruitz, Stephano Székely, Melindae Blándl, Isae Mosonyi, Paulo Tolnay, Francisco Kállai, Egoni Rosner, Margarethae Grabits, Ladislao Hitesy, Liviae Bolla, Colomanno Osgyáni, Francisco Juhász, Aemilio Pócs, Saroltæ Öllös, Theodoro Zombory, Melindae Thier, Ladislao Tamás, Joanni B, Bellissima obvenit.

Terminus solutionum: Calendae Octobres.



1—2. Quadrata magica.

1.	2.	3.				A A A	A A C
1.						A S C	L L O
2.						L L R	O R S
3.							

- |                             |                            |
|-----------------------------|----------------------------|
| 1. est condimentum ciborum. | Fons lucis et vitae mundi. |
| 2. est in templis.          | ... et labora!             |
| 3. est potio alba.          | Potio alba est.            |
- Ilsa Mosonyi* disc. Giselaani Bp.      *Des. Bauer* disc. gymn. Archiep. Bp.

3—4. Quadrata magica.

1.	2.	3.	4.			A A B E	A A A A
2.						E M O O	B I I L
3.						O R R R	L O O T
4.						R S S S	T V S M

- |                    |                       |
|--------------------|-----------------------|
| 1. Deus belli est. | 1. Agni vocem imitor. |
| 2. Discedo.        | 2. Diligit.           |
| 3. Puto, existimo. | 3. Ablui.             |
| 4. Fortuna, fatum. | 4. Avis tarde volans. |
- Aug. Sulzer* disc. Bolyayani Bp.      *Arpadus Veres* disc. Agriensis.

5. Pyramis.

- |           |                                               |
|-----------|-----------------------------------------------|
| 1         | 1. Consonans.                                 |
| 2 1       | 2. Pronomen determinativum.                   |
| 3 2 1     | 3. Forma verbi «volo».                        |
| 4 3 2 1   | 4. Bestia bipes volucris.                     |
| 5 4 3 2 1 | 5. Vento, remis aut vapore per aquas movetur. |
- Henr. Schäfer* disc. Bonyhádiensis.

6. Ad saltum equulei.


		est.	de		
	mum	le	ci	que	
	tia	Id	em	ea	
fir	vel	le	at	ami	id
		ma	em	nol	

Pulchra sententia Sallustii (Coni. Cat.) de amicitia.  
*Leo Spiess* disc. Lucanensis.

7. Logogriphus.

Thure colo divos. Vocalis nomen inibit?  
A palea granum nobile submoveo.  
*Fr. Palata* Trebicensis (Moravia).

8. Crucigramma.




- ad libram:*
2. Amori sensus est contrarius.
  4. Pro «delent» hoc invenio.
  6. Conditionalis est conjunctio.
  7. Est «re», si illud retro legimus.
  8. Hoc fit, si miseramur.

- ad perpendicularum:*
1. Est Germanorum dux clarissimus.
  2. Quod idem valet atque «circulus».
  3. Significat: «hortatur».
  4. Pars terrae sic vocatur.
  5. Sed hoc est nomen numerale.

*Stephanus Hatvani* disc. Gyöngyösiensis.

*Nota.* Lectoribus minimus: 1—4, mediis 5—6, maioribus 7—8. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner*, (*Budpaest, XI., Lágymányos-utca 30*) mittant.

**Die 10 m. Jun. Itali bellum indixerunt Francis Britannisque, qui territoria ab Italis habitata — insulas Melitam et Corsicam, provinciam Tunitanam etc. — reddere noluerunt. Contra praeses Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, Roosevelt, declaravit Americanos dehinc maiorem quam adhuc opem Britannis Francisque laturos esse. Interim summi magistratus Francorum Parisiis relictis Turonum in civitatem (Tours) migraverunt.**



Certamen corrigendi (vide pag. 79 m. Martii) usque ad Calendas Septembres prolongatur.

*D. Bauer, St. Bernáth, H. Schafer, C. Csathó, J. Tóth, S. Lichter, Al. Weber* 7 aenigmata et alia opuscula ad moderatorem miserunt, quae magna ex parte edentur. — *U. Villa.* Explicationes desideratas tempore otii aestivi libenter conscribam. Vale! — *Esp. Polit.* Gratias tibi pro pulchris pittaciis ago quam maximas. — *S. Öllös.* Nuntii tui mense Julio edentur. Velim mittas etiam imaginem luce pictam (vulgo: photographiam), quae actrices fabulae latinae vestrae ante oculos ponit. — *H. Böröndy.* Litteras latine scriptas exspecto. Euge! Sic itur ad astra. — *M. Rácz.* In Polonia 100, in Batavia 130 lectores habuimus, quos bellum nobis eripuit. In ceteris regnis occupatis numerus amicorum nostrorum multo minor fuit.

Numerus 11 mense Julio prodibit.  
Sociis atque lectoribus nostris moderator otium amoenissimum per aestivas ferias exoptat.